



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CII. Differentia 28. Iure Canonico non licet viro dimittere uxorem suam,
nisi causâ fornicationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

CII. XXVIII.
DIFFERENTIA 28.

Iure Canonico non licet viro dimittere uxorem suam, nisi causâ fornicationis. *c. præceptum. & c. si uxorem. 32. Q. 5.* At Iure civili ex aliis multis causis licet viro uxorem, & uxori virum dimittere.

l. Consensu. §. Causas. c. De repud. Io. Bapt. à S. Blasio 65.

I. Præceptum Domini est *Matth 19. v. 9. Marci 10. v. 11. Luca 16. v. 18.* ut exceptâ fornicationis causâ uxor à viro non dimittatur; & idèd quicumque circa culpam criminis supradicti (adulterij) uxorem suam quacunque ratione dimiserit, quia quod *DIVS* coniunxit, ille separare disposuit, tamdiu ab Ecclesiastica communione privatus, & à cœtu omnium Christianorum maneat alienus, quamdiu societatem relictæ coniugis sinceriter amplectatur, & foveat *Conc. Tolet. XII. c. 8. relat. in c. Præceptum. 32. Q. 5.* In sequentibus additur infamiae pœna. Si admoniti à Sacerdote semel, bis, terque ut corrigerentur, ad thorum suæ coniugis redire noluerint, de suis meritis, & à palatinæ dignitatis officio seipsos separabunt, & insuper generose dignitatis testimonium, quamdiu in culpa fuerint, amissuri sunt, id est, secundum *Glossam* inter alios generosos & nobiles non possunt ferre testimonium.

II. Quòd verò à Iure civili pluribus ex causis repudium permittatur, ex *l. Consensu* patet, idque minùs absurdi habet, quam quòd à Christianis nostris ævi Novatoribus matrimonium numero

sacramentorum excluditur, ipsisque coniugibus ad secundas nuptias ianua aperitur, quanquam de hoc inter ipsos parum constans doctrina est. Nam *Philipp. Melanthon* duobus casibus contentus est, quibus liceat dimissâ compere aliam ducere. Si alter coniugum fornicetur, aut iniuste coniugem deferat. *Lutherus* autem pro causis numerat I. Si falsus Christianus Christianam coniugem deferat. 2. Si ad furtum, vel aliud peccatum inducat. 3. Si ob frequentes rixas molesta habitatio fit. 4. Si alter coniugum diu absit. Denique si pauper cum divite matrimonium contrahat, & consummet, reclamant verò cognati, & separationem urgeant. *Bucerus* solvi matrimonium, & iniri aliud posse tradit, quotiescunque uxor non se commodam viro, aut vir uxori præbet. De quibus erroribus *Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 6. & 7. Bellar. l. 1. De matr. c. 15.*

* * *